



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2453. Vertrag zwischen dem König Siegmund von Polen und dem
Markgrafen Joachim zur Sicherstellung der Grenzbezirke durch Errichtung
eines gemeinschaftlichen Gerichts für die Friedensstörer, vom 22. ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

vndereinander nicht mochten vereynigen, Alsdann soll der Erwürdige Inn gott vater, Bischoff zu Havelberg, vor einen oberman hirzu gefordert vnd gebraucht werden, dem einen teill seinen Zufall zu geben. Doch soll diese vnser verchreibung mit allen Iren articulen nicht lennger, dann bey obgnants vnfers fruntlichen lieben Herrn vnd Bruders leben steen, halden vnnnd gebraucht werden, Darnach gantz abe vnnnd geendigt sein. Des zubekentnus vnnnd steter haltung habenn wir vnser Insigell an disen Briue hanngen lassen, der Geben ist am freitag nach Dionisy, cristi gepurt funffzehen hundert vnd darnach Im dreitzehenden Jar.

Nach dem Churm. Lehnscopialbuche XXXI, 272—274.

2453. Vertrag zwischen dem König Siegmund von Polen und dem Markgrafen Joachim zur Sicherstellung der Grenzbezirke durch Errichtung eines gemeinschaftlichen Gerichts für die Friedensstörer, vom 22. Februar 1514.

Sigismundus, Dei Gratia Rex Polonie etc., Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis et Singulis, quia cum Illustrissimo Principe domino Joachimo, Marchione Brandenburgensi, S. Imp. Electore, Fratere ac affini nostro Charissimo, amorem benevolentiamque et tranquillitatem Subditisque alterius tutam negotiationem conservare volentes Deputavimus Consiliarios regni nostri, pleno jure fulctos, ut cum consiliariis prefati Illustrissimi Margravii etiam inferius nominatis in et profesto Hedewigis sancto proxime presenti in Beltzow (al. Bledzew) Convenirent consiliaque oportuna ad conservandam quietem mutuo celebrarent, injuriasque alterutrim illatas audirent, cognoscerent et justicie mediis terminarent et componerent, noxios vero necessario puniendos pro excessibus punirent, et propter futuram quietem vovendam et conservandam articulos mutuo Consilio et pariformi intelligentia oportunos et aptos de consensu utriusque nostrorum approbandos et observandos ederent et statuerent. Quo autem exitu conventus prefatus per prefatos utriusque nostrum Consiliariorum absolutus et terminatus sit et existat, presentes articuli demonstrant: Consilarii S. R. Majestatis Serenissimi Regis ac domini, domini Sigismundi, D. G. Regis Polonie etc., videlicet Reverendus in Cristo pater et dominus, dominus Johannes, Dei Gratia Episcopus, Nicolaus de Lubranz (al. Ludbranz), Palatinus, Lucas de Gorka, Castellanus Posnaniensis et Capitaneus generalis majoris Polonie, Et Illustrissimi domini, domini Joachimi, D. Gratia Marchionis Brandenb., S. R. I. Electoris videlicet Teodericus, D. Gr. Episcopus Lubucensis, Wernerus Schulenburg, Casparus kokeritz, miles auratus, Sebastianus, doctor et cancellarius, nec non commissarii, cum plenitudine potestatis et auctoritatis, ad Conventum in confinibus dominiorum inelyti Regni Polonie et Marchionatus profesto dive Hedwigis, Majestatem regiam et illustris-

simum Principem et Electorem institutum et in villa falkenwalde, inter monasterium Belkaw (al. Bledzew) et oppidum regni atque Reinwalde (al. Ryemswalde), oppidum Marchionatus sita tentum atque habitum. Electi deputati et designati pro fraterno amore amicitiaeque conservanda inter Regnum Majestatis Poloniae et Illustrissimum dominum Marchionem et pro bono pacis subditorum et dominiorum tam Ser. Regis Poloniae, quam Illustrissimi domini Marchionis vigore mandatorum a Majestate Poloniae et Illustrissimo domino Marchione utrique ad hunc actum datorum et a prefatis dominis Consiliariis et Commissariis productorum et exhibitorum matura deliberatione unanimique voto ad perpetuam pacem inter Dominia Regis et Marchionis componendam tenendamque, ut grassandi licentia et malefaciendi via omnibus subditis utriusque domini precludatur, proque exhibitione promptioris et facilioris justitiae ad futuros casus eventusque quoscunque in posterum evenire contigerit, et non ad preteritos, sub hiis articulis, clausulis, punctis et constitutionibus ex utraque parte firmandis et roborandis conveniunt et decreverunt.

1. Inprimis quod subditi utriusque domini tam regni quam Marchionatus pro Singulis ac omnibus causis, injuriis quibuscunque recurrent et recurrere debent ad principes dominosve videlicet Ser. Reg. Poloniae et Illustrissimum Principem Marchionem et Electorem Brandenburgicum vel ad prefectos M. R. et Illustrissimi domini Marchionis, in quorum terris injuriantur vel ipsi rei degunt et apud eos administrationem justitiae petere.

2. Item ne partes graventur superfluis itineribus et expensis atque facilius unicuique justitia reddatur, constituerunt prefati domini Consilarii et Commissarii, quod Principes utriusque domini constituere et deputare debent iudices ex utriusque domini binos et binos, de dominio Regni duos et dominio Marchionatus duos, unum spirituales et alterum seculares, qui omnes injurias futuras, actiones et causas discernent et judicabunt inter Regni subditos ex una et subditos Marchionis ex altera parte. Iudices prefati non judicabunt, nec judicare debent, Subditos S. R. Poloniae et subditos Illustrissimi Marchionis hinc inde jure regni neque jure Imperii vel domini Marchionis, sed equitate rationis simpliciter et de plano, et quicquid per illos iudices decerneretur, hoc firmum et ratum esse debet nec appellari a decreto et sententia talium iudicum poterit.

3. Quilibet Princeps, in cujus dominio residet ille, contra quem sententia lata est, sententiam debiti executioni demandabit et demandari faciet vel eorum prefecti generales vel speciales infra tempus iudicii proximi.

4. Item iudices deputati non alio tempore judicare debent, quam bis in anno, semel die Lune post dominicam misericordias domini in oppido Medzeritz (al. Mydzierzecz) in dominiis S. R. Poloniae, secundo die Lune post festum Francisci in domino Illustrissimi Marchionis in oppido drisen (al. Drussen), quod Poloni Ofsinia appellant. Et si illo die non poterint propter multitudinem causarum iudicium finire, aliis diebus superveniens illud terminandi et continuandi habeant facultatem.

5. Prefati iudices, cum ad officium iudicandi electi fuerint et deputati, jurare debent, quod iudicabunt, non secundum favorem, amicitiam et affectum, sed secundum meram equitatem et iustitiam, prout illis equius et iustius videbitur, nec munera vel promissiones a partibus recipere. Et prefata iuramenta prestabunt hinc inde iudices R. M. in manibus Iudicum domini Marchionis Brandenburgensis, et iudices Illustrissimi Marchionis in manibus iudicum regni.

6. Preterea utriusque iudices habebunt, suos notarios juratos discretos, qui acta Iudicii fideliter conscribant et se in qualibet parte folii subscribant.

7. Decreverunt etiam prefati domini Consilarii et Commissarii, quod S. R. M. Polonie debet deputare iudicibus ad differentiam in limitibus Regni constituendis Sigillum singulare et Illustrissimus dominus Marchio iudicibus in Marchia aliud, quo utentur ipsi iudices in sigillando ad dandum literas significatorias, remissoriales, adjudicatorias et alias quascunque, que fuerint partibus pro consecutione iusticie necessarie et quibus sigillabuntur cause, que remittuntur ad ipsos Principes vel ad eorum Prefectos generales pro sententia ferenda, dum ipsi iudices vel major pars in unam sententiam convenire non possunt.

8. Item si partibus incumberet probatio et testes vel iura pro illo iudicio, in quo lis contestata est, habere non possent, ad proximum iudicium producendi eadem vel eosdem dari debet dilatio.

9. Item Testes inducti probabunt medio iuramento, quos soli iudices examinant, et circa examen illorum solemnitatem canonum et iurium observare et ad interrogatoria examinare, si pars adversa vel procurator ejus hoc exposcet, debebunt.

10. Item iudices ex majoritate suffragiorum sententiam et decreta ferent, non obstante eo quod quartus dissentiat nec separatim super sententiis ferendis colloquantur et consulunt, sed in commune. Quod si disparitas erit suffragiorum, ita quod iudices utriusque domini erunt differentes, videlicet bini unius et bini alterius sententie, propositio et depositio testium aliaque merita cause debent conscribi conscripte claudi ad instar rotuli et sigillis iudicialibus iudicum quoruncunque pro officio concessis consignari et remitti acta pro sententia ferenda ad dominum rei vel suum viceregentem Generalem et Princeps sue vice regens ejus generalis a presentatione literarum remissorialium et rotuli, quas ipsi iudices, de quorum territorio est reus, deferent et presentabunt sententiam scribere infra duos menses et iudicibus sui territorii consignatam sigillo deferendam ad locum iudicii proxime celebrandi tradere, quam iudices non aperient nisi omnes in simul et presentibus partibus constituentur et pronuntiabunt.

11. Preterea prefati Iudices habebunt librum iudicarium, in quo omnia acta iudiciorum actitabunt et notarios binos, Iudices regni unum, qui in Miedzerizenfi (al. Myedzirzecz), et iudices Marchionatus alterum, qui in drisen (al. Drzesno) oppido, qued offinia (al. Ofinya) lingua vernacula Poloni appellant, acta iudiciorum celebratorum annotabunt et propter falsitates vitandas uterque eorum se singulis chartis subscribet, in qualibet parte folii, qui post singula iudicia celebrata in loco, in quo cele-

bratum est iudicium conservabitur, et non obstante subscriptione Notariorum consignari debent sigillis pro iudiciis datis et deputatis et per iudices, in quorum territorio depositus est ad locum celebrandi iudicii deferri.

12. Si malefactor vel iniurians seu ex officio iudiciis seu ad instantiam partis, dedit penas perpetrati sceleris, quod scilicet ultimo supplicio affectus est, nihilominus in bonis suis, in quantum se extendunt, damna parti illata, dum a parte repetentur, exsolvi debent, prout juramento proprio damnum passus firmaverit et si quis peierare (sic) compertus fuerit, ipso facto infamis fit et pena quadrupli puniatur et ad restitutionem ejusdem quadrupli compellatur, et media pars quadrupli pro principe et reliqua pro Iudicibus omnibus dividatur.

13. Et ut subditis utriusque domini occasio iniurias faciendi vel perpetrandi scelera aliqua adimeretur, statuerunt prefati domini Consiliarii et commissarii utriusque domini, quod si aliquis statim post alienationem bonorum suorum vel paulo post ad injurias faciendas et damna alicuius domini converteretur, tenebuntur ipsi Principes vel prefecti ex officio ad requisitionem alterius Principis vel prefectorum aut partis querulantis, emptores et possessores bonorum ad se vocare et ab iis juramentum petere, quod non conscii fuerint circa emptionem vel in ipso contractu de factis malefactorum nec sub conditione occulta et dolosa, puta in spem restitutionis faciende eadem sibi resignari vel reformari ordinaverint. Quod si emptor recusabit jurare, ex tunc compellendus est ad reparationem damnorum, in quantum se illa bona extendunt.

14. Animadvertere etiam debent Principes utriusque domini et prefecti eorum, ut circa resignationes bonorum, hereditatum et possessionum Superintendent, causas alienationum ex quibus fiant perquirendo, ne in fraudem, dolum et jacturam atque periculum alterius committantur. Quod si aliqua suspicio de eo oriatur, ipsa resignatio non admittatur, nisi cautionem fidejussoriam faciet de indemnitate, que per eum tanquam per odardum (sic) committi possit, nec secus talibus suspectis ipsa resignatio admittatur.

15. Preterea si contingeret, aliquos immemores sui honoris et salutis in dominiis M. Polonie et Illustrissimi domini Marchionis subditis alicujus domini furta, homicidia, incendia et alia damna committere et ad aliquod dominiorum se transferre vel fugere, tenebuntur subditi illius domini, qui sunt in itinere vicini et per quorum dominia et possessiones ipsi malefactores proficiscuntur ad requisitionem istius, qui passus est damnum vel ejus procuratores vel amici vel quicumque hoc nomine ejus petat malefactorem, pro posse suo insequi vel auxilia prestare ad eum insequendum.

16. Et quia captivitates et depredationes inter regni subditos et marchionatus sepius fieri solebant nec securus erat viarum transitus nec quisquam erat tutus in domibus suis, statuerunt prefati domini Consiliarii et Commissarii, ne de cetero fiant, nec quisquam aliqua sponsione fidei obligaretur. Quod si quemquam subditorum ex subditis tam S. R. Polonie, quam Illustrissimi Marchionis captivare tam in domo quam in itinere et tales captivos conservare vel aliqua sponsione fidei obligari vel depredari

contingat, quod bona sua a Principe, sub cujus dominio refidet, confiscantur, ex quibus parti lese satisfactio per principem fieri debet in quantum bona se extendunt.

17. Statuerunt etiam prefati domini Consilarii et Commissarii, quod prefati iudices et omnes subditi hinc inde ad prefata judicia in confinibus prefatorum dominiorum celebranda venientes et quorum interesse debent, saluum conductum quem ibidem prefati domini consilarii ex parte Illustrissimi domini Marchionis et Regie M. Polonie, vigore mandatorum principum suorum, prout extunc ita et nunc et prout nunc ita et tunc dant, concedunt et largiuntur, Judicibus, notariis et omnibus subditis venientibus ad prefata judicia tam nomine R. M. Polonie, quam Illustrissimi domini Marchionis, promittentes, eundem omnibus inviolabiliter observare et sub eo securitatem tam in persona, quam in rebus de omni indemnitate habere.

18. Statuere insuper prefati Domini Consilarii et Commissarii, quod nulle diffidationes ab hinc et per amplius inter subditos prefatorum dominorum fieri debeant, neque a subditis Domini Marchionis Ser. Majestatis Regie, quam a R. M. subditis Illustrissimo domino Marchioni: si quis vero contrarium facere ausus fuerit, bona sua ipso facto sunt confiscata tamdiu, donec principis gratiam, cui diffidationem fecit, invenerit vel persone diffidate satisfecerit: et nihilominus si nobilis est sponse fidei per principem in cujus territorio diffidans est obligetur, si ignobilis in carcerem vel fidejussoriam conjiciatur ad Principis vel persone cui diffidavit voluntatem.

19. Filii patrumfamilias jugum paternum excutientes, si et ad rapinas, furta, diffidationes, captiuitates, depredationes se converterint, Principes eorum in bona ad eos devoluta jus successionis habebunt, nec in illud restitui debent, nisi beneficio Principis de consensu illius, in quem deliquerunt.

20. Et quod frustra est Judicia constituere, nisi partes compareant, ne igitur claudicent judicia, prefati Commissarii Statuerunt, quod actor, si reum trahere velit in iudicium prefatorum Judicum, Principi vel Prefecto Suo Generali, vel Speciali Causam Suam exponet et petet, reo prefigi terminum pro judiciis proxime Celebrandis, de qua prefixione princeps vel prefectus fidem faciet apud Judicem. Qui si non comparuerit, neque per se neque per alium; notabitur ejus contumacia in actis, Si pars instabit, et nihilominus sibi continuabitur alius terminus ad proxima judicia et iudices intra tempus Judiciorum partem de Instantia termini et accusatione contumacie et de termino proximo preceptorio per Notarium suum Regni Regnicolas, Marchionitas uero per Notarium Judicum domini Marchionis, certificabunt et terminum preceptorium ei prefigent, quo non comparente Judices sententiam ferent.

Nullus Princeps nec Dominus, nec R. M. Polonie nec Illustrissimus Princeps Dominus Marchio et Elector Imperii, hostes dominiorum Seu Reytharos (sic) Sive alios quoscunque tam Principum quam Dominiorum juvare et conservare in terris suis debet, nec per terram mittere, nec illis consilia, nec auxilia prestare, sed pro viribus transitum eorum, defendere, reprimere et cohibere. Ut autem omnia ea que modo premissa per Consilarios nostros prefatos, simulac prefati Illustrissimi Domini Marchionis, affinis

nostri carissimi, pro conservanda benevolentia et quiete mutuo consilio et voluntate constituta decretaque et in articulos premissos redacta sunt, rata et firma sint, eadem nos de consilio Consiliarum Regni nostri ex parte regni ita observanda, Sicuti premissum est, approbamus eadem Servare et Servari a nostris Subditis, dummodo etiam ab alia parte Serventur, volentes prout servabimus et Servari effectualiter faciemus. Datum Vilne, feria quarta proxima ante festum St. Matthie apostoli, Anno 1514, Regni nostri octavo.

Relatio reuerendi in cristo patris dom. Matthie,
Episcopi Wladislauienfis, R. Polonie Cancellarii.

Nach Copien der Joachimsthal'schen Schul-Bibliothek und anderer Sammlungen.

2454. Kurfürst Joachim verspricht dem Hochstifte Mainz die Auslösung des verpfändeten Amtes Ebernshaim, falls sein Bruder Albrecht als Erzbischof von Mainz wirklich bestätigt werde, und vier Jahre hindurch im Besitz des Erzstiftes bleibe, am 20. März 1514.

Wir Joachim, von gots gnaden Marggrau zu Brandenburg vnd kurfürst etc., Bekennen hiemit offentlich, Nachdem der Erwidigt In gott vnd hochgeborn fürst, Herr Albrecht, postulirter zu Ertz-Bischoff zu Magdeburg etc., Marggraff zu Brandenburg etc., vnser fruntlicher lieber Bruder, Nach dem willen vnd schickung des Almechtigen zu einem Ertz-Bischoff zu Maintz, durch die Erwidigen Techant vnd Herrn Capittels der hochloblichen Ertzbischofflichen kirchen doselbst einmüttiglichen postulirt vnd erfordert ist worden, Also haben wir angesehen die getrewe wolmeynung, damit sie vnserm fruntlichen lieben Bruder gneigt, auch merklichen obligen vnd schulde, damit Bemeltes Ertz-Bisthumb beladen, Got dem Almechtigen zu Eren vnd dem loblichen Stiff Meintz zu frommen, vnns Inn crafft dits Bryffs Bewilligt, das, wue obgemelter vnser fruntlicher lieber Bruder von Behftlicher Heiligkeit Bestetiget vnd obberurtes Ertzbischoffliches Stiff in wureckliche Regierung komet vnd denselben vir Jar lang Inne hat vnd Besitzt; So soll aufgang des virten Jars feins Regiments das Ampt Ebernshaim mit seiner zugehorung, welichs vom Stiff Meintz dem Lantgraffthumb zu Hessen vmb zwej vnd vitzigtausent gulden Reinisch versetzt vnd verpfandt, on Beswerung des Stiff Meintz oder seiner vnderthann, widerumb dartzu gelost vnd gelediget werden. Zu urkunt etc. Actum am montag nach Oculj, Anno etc. XV^c. decimo quarto.

Nach dem Chron. Schneckopyalbuche XXXI, 250.